



BIBLIOTECA
COMUNALE
DI TRENTO



UNIVERSITÀ DEGLI STUDI
DI TRENTO
Dipartimento di Lettere e Filosofia



FONDAZIONE
CARITRO
CASSA DI RISPARMIO DI TRENTO E ROVERETO

PIUS IV PAPA, *Bulla reformationis Officii sacrae Poenitentiariae*, Riva del Garda, Pietro Antonio Alciati (Riva del Garda, Jacob Marcaria), 1562.

Esemplare digitalizzato:

Trento, Biblioteca comunale, T o op f 185

LINK: <https://bdt.bibcom.trento.it/40>

[BDT – BIBLIOTECA DIGITALE TARENTINA](#)

progetto STABAT – *Stampe antiche Biblioteca comunale di Trento*



COMUNE DI TRENTO



STABAT – *Stampe antiche della Biblioteca comunale di Trento* è un progetto concluso, cofinanziato dalla Fondazione Caritro (“Bando Archivi 2014”), dalla Biblioteca comunale di Trento e dal Dipartimento di Lettere e Filosofia dell’Università di Trento; gli altri partner del progetto sono la Soprintendenza per i beni storico-artistici, librari e archivistici della Provincia Autonoma di Trento e l’University of St Andrews, School of History, USTC – Universal Short Title Catalogue. All’interno di Stabat sono state digitalizzate e descritte tutte le edizioni stampate in Trentino nei secoli XV-XVII che si conservano presso la Biblioteca e l’Archivio storico del Comune di Trento. Ogni digitalizzazione è accompagnata da una descrizione della stampa; tutto il materiale è liberamente consultabile sulla *Biblioteca Digitale Trentina* (<http://bdt.bibcom.trento.it/>).

In questo file le immagini hanno avuto in trattamento OCR e pertanto si possono fare ricerche testuali; le immagini presenti sul sito, dove si può trovare una descrizione completa dell’edizione, hanno invece una qualità maggiore.


Le immagini presenti nella *Biblioteca Digitale Trentina* sono rilasciate con licenza di Pubblico dominio, il presente PDF è distribuito con licenza Creative Commons Attribuzione – Non commerciale – Non opere derivate 3.0.

STABAT – *Stampe antiche della Biblioteca comunale di Trento* is a project that was successfully concluded thanks to the support of a group of partners, namely the Caritro Foundation (“Bando Archivi 2014”), Trent Civic Library, the Department of Humanities of the University of Trento, as well as the Superintendence for Architectural, Landscape, Historical, Artistic and Ethno-anthropological Heritage for the Province of Trento and the University of St Andrews, School of History, USTC – Universal Short Title Catalogue. All the editions belonging to the Library and the Civic Historical Archive that were printed in Trentino during the XV-XVII centuries have been digitised and described. As a result, each digital copy is accompanied by a record with specific data regarding the printed book, and is freely available to be consulted on *Biblioteca Digitale Trentina* (<http://bdt.bibcom.trento.it/>).

The images belonging to this file are OCR-converted, hence the text of this edition can be electronically searched. The images available on the website, on the contrary, have a higher resolution and are accompanied by a complete description of the edition.

The images available on the *Biblioteca Digitale Trentina* are public domain files; this PDF is available under the Creative Commons Attribution – Non-commercial – No Derivative Works 3.0 License.





BIBLIOTECA
COMUNALE
TRENTO



BIBLIOTECA COMUNALE
TRENTO




ex libris




K 2420699

D 2420685

5tc1
T 0-op f 185





SANCTISSIMI

IN CHRISTO PATRIS,

ET D. N. D. PII DIVINA

Providentia Papæ IIII.

B V L E A: Reformationis Officii Sacræ
Pœnitentiariæ.



RIPAE:

AD INSTANTIAM Petri Antonii Alciatis:

1562.

PIVS EPISCOPVS SERVVS SERVORVM
DEI AD PERPETVAM

Rei memoriam.



IN SVBLIMI Beati Petri Solio, meritis licet imparibus, superna dispositione locati, statim ab ipso nostri Pontificatus initio officii nostri esse duximus. ut omni adhibita diligentia errores, quos circa omnes gradus, & hominum conditiones, nimia forsitan licentia, & impunitate magno cum animi mœrore hisce potissimum temporibus committi animaduertimus: prouidentia nostræ ministerio corrigere, & emendare, ac ea, quæ hominum licentia crescente deformata essent, reformare: illaque præsertim, circa Romanæ curiæ officia; & tribunalia ad ueram debitamque normam, & obseruantiam reducere curaremus: Hinc est, quod nos ad Pœnitentiariæ nostræ officium, in quo morum censura, & animarum salus præcipue uertitur; nostræ considerationis oculos dirigentes, & attendentes in eo plures, & diuersos abusus propter superiorum temporum licentiam, & incuriam irrepsisse: ne illi sese latius diffundant, quantum in nobis est, occurrere uolentes, habita desuper cum uen. fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus deliberatione matura ipsoque maiore Pœnitentiarario, ac eius officialibus auditis, & eorum iuribus diligenter uis, ac omnibus mature consideratis de ipsorum fratrum consilio, Auctoritate Apostolica tenore præsentium statuimus, & ordinamus: quod de cætero perpetuis futuris temporibus pro tempore existens maior Pœnitentiararius, ac eiusdem Pœnitentiariæ Regens, correctores, scriptores, Procuratores, ac alii quicumque eius officiales, & ministri ab eorum omnium, quæ in infrascriptis Capitulis, & prohibitionibus continentur: concessione, commissione, & expeditione penitus cessare, & abstinere debeant. Et in primis idem Pœnitentiararius abstinat a commutationibus ultimarum uoluntarum, & earum derogationibus, necnon ab unõibus perpetuis, & suppressionibus, ac translationibus beneficiorum ecclesiasticorum, & applicationibus unius beneficii alteri beneficio, & illarum confirmationibus. Item a concessione iurispatronatus, seu præstandi ad beneficia ecclesiastica propter augmentum fructuum, sed tantum ex causa fundationis, uel dotationis illud concedere possit. Similiter abstinat a licentiis stan
di

di extra pro monialibus ex quacunque causa: nec non a declaratoris pro religio-
sis propter uim, & metum: quos in ingressu religionis, uel emissionem profes-
sionis sibi illatos fuisse pretendant: quando post emissionem professionem huiusmodi
susceperunt sacros ordines in religione: etiam si asseratur, quod eisdem uim, &
metu durantibus, illos susceperint. In aliis autem casibus declaratoris ipse com-
mittantur ordinario loci, & uocato Priore Monasterii, in quo fuerit emissio profes-
sio, & nunquam in curia, etiam si pars, & testes presentes essent. Nec conce-
dat Religiosis licentias standi extra propter infirmitatis, & similia impedimenta,
nec etiam pro subuentione parentum, aut pupillorum, uel aliorum consanguineo-
rum, nisi obtenta licentia suorum superiorum, & in facultatibus pro religiosis eis-
dem transeundi, de ordine, ad ordinem, etiam in casibus a iure permisis appo-
natur semper clausula quod perpetuo ibidem in claustris Domino famulari tene-
antur. Apostatis uero absolutionem non concedat, nisi ea lege expressa ut statim
ad claustrum proprii ordinis redeant: uel ad alium ordinem transeant, & qualis,
uel arctioris obseruantia, ut ibi perpetuam uitam agant. Nec illis, aut aliis transla-
tis predictis indulgeatur: ut beneficia ecclesiastica obtinere, uel illis uti mercena-
rii deferuire, aut alias etiam de superiorum suorum licentia extra claustrum quo
quo modo degere ualeant. Similiter non concedat commisionem alienationum,
uel permutationum, aut affrancationum, aut illarum confirmationum de bonis
ecclesiasticis in forma, quae dicitur, Si in euidentem, pro rebus, quarum redditus
annuus summam uiginti ducatorum auri de Camera excedat: & commisionem
huiusmodi semper ordinario loci, & alteri personae in dignitate ecclesiastica con-
stituta coniunctim committantur. Et si de ipsius ordinarii interesse, uel praui-
cio agatur. Tunc loco ipsius committantur Metropolitanis. Et si res ad ipsum
Metropolitanum pertineat, ordinario uiciniore, & nunquam similem concedan-
tur commisionem quando agitur de alienatione iurisdictionum, uel uassallorum
ad ecclesiam quouis modo pertinentium. Praeterea ne ordinarii in corrigendis
subditorum excessibus impediatur, & delicta impunita remaneant: non con-
cedat absolutiones, uel mandata de absoluendo ab homicidiis, uel aliis grauibus
delictis etiam occultis, pro quibus de iure ciuili poena capitalis imposita sit pra-
terquam in foro conscientiae duntaxat. In reliquis uero minoribus, & leuioribus
excessibus, de quibus tamen deliquens non fuerit citatus, uel inquisitus, commit-
tere possit ordinario: ut imposita illi poena eius arbitrio eum etiam in foro fori
absoluat, ipsumque ab executione ordinum si secum super irregularitate dispen-
satum fuerit, similiter eius arbitrio suspendat. Episcopis tamen, uel eorum supe-
rioribus; aut aliis praelatis Sedi Apostolicae immediate subiectis, & quibusuis
personis in terris Ecclesiae, & multo minus in Vibe delinquentibus, ab ali-
quibus delictis extra forum conscientiae absolutionem minime concedere pos-
sit. Caueat etiam Pœnitentiarius ne in absolutionibus a Symonia reali: uel
conventionali: etiam occulta: unquam concedat: ut ipsi Symoniaci benefi-
cia: super quibus Symoniam commiserunt: seu pecunias: uel alia pro

illis accepta, aut fructus exinde post commissam symoniam perceptos in toto, uel in parte retinere possint: quinimmo in absolutionibus huiusmodi apponatur clausula, quod uterque ad beneficium, super quo fuit commissam symonia, perpetuo inhabilis existat. Et insuper homicidæ uoluntario, etiam alias canonicè absoluto altaris ministerium, aut ascensum ad superiores ordines, & restitutionem, aut retentionem beneficiorum, quibus ipso iure quis priuatus uel priuandus sit: concedere minime ualeat. Nec minus literas de promouendo ad sacros ordines, ac etiam ad primam tonsuram a quocunque Catholico Antistite, nisi allegetur iusta causa, propter quam ab ordinariis suis promoueri, nec ab eis, aut eorum officialibus literas dimissorias obtinere ualeant: & tunc concedi possint a quocunque ordinario, uel pro eo Pontificalia exercente, & si causa allegata falsa fuisse deprehendatur, sic promoti ab executione ordinum per suos ordinarios suspendi, uel illa etiam perpetuo priuari possint. Similiter idem Pœnitentiarius non concedat absolutiones a iuramento, nisi ad effectum agendi duntaxat, Nec dispensationes matrimoniales in forma gratiosa, sed semper committantur ordinariis, prout alias fieri consuevit. Neque concedat religiosis licentiam suscipiendi gradum doctoratus, uel Magisterii contra statuta ordinis, nisi ex aliqua probabili causa, & nisi de licentia suorum superiorum: nec absolutiones a fructibus indebite perceptis, ratione intrusionis in beneficio, uel ob non promotionem, aut alium tituli defectum, etiam in foro conscientie, nisi facta restitutione fructuum huiusmodi. Nec etiam absolutiones concedat pro usurpata iurisdictione, uel uiolata libertate Ecclesiastica etiam in foro conscientie (nisi cum clausula) Satisfacto prius de damnis & expensis parti læsæ, Neque facultates testandi iuxta formam quinterni simpliciter, sed cum clausula, dummodo non supra summam centum ducatorum etiam ad pias causas, ac pro seruitutibus. Religiosis uero etiam extra claustrum, etiam cum Apostolica dispensatione degentibus, facultates testandi nullo modo concedantur. Et insuper non confirmet gesta per ordinarios, aut alios inferiores illis de iure communi non concessa, nec suppleat eorum defectus, minus etiam dispense super ætate promouendorum ad sacros ordines de iure requisita, nec tempus prælatis ad munus consecrationis suscipiendum a iure statutum ultra tres menses, & terminum anni Rectoribus parochialium Ecclesiarum, & aliis quibusuis ad sacros etiam presbyteratus ordines suscipiendos a iure, aut in fundatione beneficiorum quomodolibet constitutum extra casus a iure permisos, ultra sex menses minime prorogare ualeat. Et ultra præmissa absteineat etiam ab expeditionibus quibuscunque, quæ sibi per literas suarum facultatum expresse non conceduntur, nisi alias de iure communi in casibus, de quibus agetur, ordinario concessæ reperiantur. Nec suffragetur pretextus consuetudinis, seu stili, aut quasi possessionis ipsius maioris Pœnitentarii, & prædecessorum suorum in similibus concedendis, etiam si consuetudo, aut stili, uel quasi possessio huiusmodi per literas facultatum suarum generaliter approbata reperiantur. Volumus in super quod officium Sacræ Pœniten-

Pœnitentiariæ Sede Apostolica uacante in omnibus, & singulis, quæ ad forum fori quomodolibet pertinent, penitus, & omnino conquiescat: Quodque ea tantum pro animarum salute expedire ualeat: quæ forum conscientia respiciunt. Districtius inhihentes moderno, & pro tempore existenti Maiori Pœnitentiario in uirtute Sanctæ obedientiæ, ac Regenti, Correctoribus, scriptoribus, procuratoribus, reuisoribus, sigillatoribus, aliisque dicte Pœnitentiariæ officialibus quibuscunque sub nostræ indignationis, & excommunis latæ sententiæ, nec non priuationis, & amissionis suorum huiusmodi, & aliorum officiorum, & beneficiorum quorumcunque per eos obtentorum, & inhabilitatis ad illa, & alia in posterum obtinenda, aliisque grauioribus nostro, & pro tempore existentsis R. O. Pon. arbitrio infigendis, & applicandis pœnis: Nec de concessionibus, & expeditionibus sibi per præsentis interdictis contra præmissorum tenorem et prætextu quorumuis priuilegiorum, & indultorum eis quomodolibet concessorum se intrmittere quoquo modo audeant, seu præsumant. Decernentes quascunque concessiones, gratias, ac expeditiones deinceps ab eodem officio Pœnitentiariæ contra præsentiam tenorem (quod absit) pro tempore emanatas, etiam si in illis asseratur, uixæ uocis oraculo, ac de mandato nostro, & pro tempore existentsis Roman. Pont. speciali, & expresso factas fuisse: nullas nihilominus, & inualidas, ac extortas, & surreptitias esse, & censerî, nemini que propterea suffragari posse, & ita per quoscunque locorum ordinarios, ac Iudices, & commissarios quauis auctoritate fungentes etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac eiusdem S. R. E. Cardinales, sublata eis, & eorum cuiuslibet quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, iudicari, & diffiniri debere; irritum quoque & inane, quicquid secus super his a quoquam quauis auctoritate scienter, uel ignoranter contigerit attemptari. Non obstantibus Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis priuilegiis quoque & indultis eidem Maiori Pœnitentiario, ac eius officio, etiam in illius erectione, & institutione etiam Motu proprio consistorialiter, ac de fratrum eorundem consilio, & assensu, sub quibuscunque tenoribus, & formis, ac cum quibusuis clausulis, & decretis in genere, uel in specie, & aliis quomodolibet, etiam per sollicitis recordationis Eugenium Quartum, Sixtum etiam Quartum, & Paulum Tertium, ac alios quoscunque Romanos Pontifices prædecessores nostros, ac etiam nos concessis, approbatis, & innouatis, ac decretis, censuris in illis apposis. Quibus omnibus etiam si pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis specifica, indiuidua, & expressa, ac de uerbo ad uerbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quauis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc seruanda foret: Tenores huiusmodi præsentibus pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permanentibus, hac uice dumtaxat Specialiter, & expresse derogamus, contrariis quibuscunque, Aut si aliquibus communiter, uel diuisim ab eadem sit sede indultum, quod interdicti, suspendi, uel excommunicari non possunt per literas Apostolicas

solis generalibus, uel specialibus quorumcunque tenorū existant, per quos
presentibus non expressa, uel totaliter non inserta effectus presentium impedi-
ri ualeat quomodolibet, uel differri, & de quibus quorumque totis tenoribus spe-
cifica, indiuidua, & expressa, ac de uerbo ad uerbum habenda esset in eisdem li-
teris mentio specialis. Ut autem presentes literæ ad omnium notitiam deducan-
tur, & omnes quorum interest, uel interesse poterit, omnino afficiant: Volumus,
& mandamus illas in Palatii nostri Apostolici, ac officii Pœnitentiariæ huiusmodi
ualuis, & acie campi Floræ affigi, & per aliquod temporis spacium, relicta ibi-
dem copia, detineri, ut his, quos literæ ipsæ concernunt seu concernere pote-
runt, quomodolibet in futurum, quod ad ipsorum notitiam non peruenerint, uel il-
las ignorauerint, quominus eos ardeat perinde, ac si eis personaliter intimatæ
forent, nullam possint excusationem prætere, uel ignorantiam allegare: Cum
non sit uerisimile apud eos remanere incognitum, quod tam patenter exti-
terit publicatum. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam no-
strorum statuti, ordinationis, uoluntatis, inhibitionis, decreti, dero-
gationis, & mandati infringere, uel ei ausu temerario contrai-
re. Si quis autem hoc attemptare præsumperit indigna-
tionem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, &

Pauli Apostolorum eius, se nouerit incur-
surum. Dat Romæ Apud San-

ctum Petrum, Anno
Incarnationis


Dominicæ, Millesimo Quingentesimo Sexa-
gesimo Secundo. Quarto Nouem.

Maii. Pontificatus Nostri

Anno Tertio.



✠ EGO PIVS CATHOLICAE ECCL: EPISCOPVS



- ✠ Ego R. Card. de Carpo Episcopus Portuen:
 ✠ Ego F. Cardinalis Pisanus Episcopus Tusculanen.
 ✠ Ego Fed. Cardinalis Cæsius Episcopus Prænestinen.
 ✠ Ego Io. Cardin. Moronus Episcopus Sabinen.
 ✠ Ego Christophorus Cardin. Triden. Episcopus Albanen;
 ✠ Ego Otho Truchses Cardinalis Augustanus .
 ✠ Ego B. della Cueua Cardin. Sanctæ Crucis :
 ✠
 ✠ Ego Ti. Cardinalis Cr. spus :
 ✠ Ego Ful. Cardinalis Perus,
 ✠ Ego Io. Michael Card. Saracenus,
 ✠ Ego Io. Cardinalis Sancti Vitalis,
 ✠ Ego Iac. Cardinalis Patreus .
 ✠ Ego Io. B. Cicada Card. Sancti Clementis ff.
 ✠ Ego B. Card. Tranen.
 ✠ Ego Scipio Cardin. Pifarum .
 ✠ Ego Io. Cardinalis Reomanus .
 ✠ Ego Io. Antonius Cardinalis Capifuccus :
 ✠ Ego F. M. Cardin. Alexandrinus .
 ✠
 ✠ Ego Iac. Cardinalis Sabellus .
 ✠ Ego Io. Ant. Cardinalis Sancti Georgii :

- ✦ Ego Aloysius Card. Cornelius.
- ✦ Ego B. Cardinalis Saluiatus.
- ✦ Ego Ph. Cardin. Aburd.
- ✦ Ego Petrus Franciscus Cardin. Ferrerius.
- ✦ Ego Marcus Antonius Cardin. Amulius.
- ✦ Ego Hieronymus Cardinalis Corrigiensis.
- ✦ Ego B. Cardin. Nauagerius.
- ✦ Ego Ioannes Franciscus Cardin. de Gambara.
- ✦ Ego A. Cardin. Farnesius Vicecancellarius.
- ✦ Ego Gui. Asc. Cardinalis Camerarius.
- ✦ Ego N. Card. de Sermonetta.
- ✦ Ego Iu. Cardinalis Vrbinas.
- ✦ Ego Alf. Carafa Cardina. Neapolitanus
- ✦ Ego Vitellotius Card. Vitellius.
- ✦ Ego Carolus Cardin. Boiromeus.
- ✦ Ego Franciscus Cardin. Gonzaga.
- ✦ Ego Indicus de Aualos Cardinalis de Aragonia.
- ✦ Ego Alph. Cardin. Gefualdus.

Ant. Florebellus Lauellinus:


F. Delyon.


Anno a natiuitate Domini M. D. LXII. Indictione. V. die uero ueneris X V. mensis Maii, Pont. S. in Christo Patris, & D. N. D. Pii Diuina prouidentia P P. IIII. Anno III. Retroscriptæ literæ Apostolicæ affixæ, & publicatæ fuerunt ad ualuas Palatii Apostolici, & Palatii officii Sacræ poenitentiarie, & in acie Campi Floræ, ut in retroscriptis literis continetur dimissis copiis earundem in dictis locis affixis, per nos Franciscum Rugerium, & Iulium Parinum prælibati Sanctissimi Domini N. Papæ Cursores.


Honorius Montargull. Magister Curforum.



768644







BIBLIOTECA
COMUNALE
TRENTO

T
0
op. f
185

SANCTISSIMI

IN CHRISTO PATRIS.

ET D. N. D. PII DIVINA

III.

Officii Sacre

1711

tonii Alciatis:

xrite

colorchecker



MSCPPCC0613

mm